Negotium autem, de quo scribo, eiusmodi est. Lignitii, nimirum in patria mea, calvinismus vehementer grassari incipit, iamque iste palam tenet ipsum principem illustrissimum praecipuosque viros senatores et in aula et in civitate. Unum insuper ex tribus nostris apostolicis templis templum, quod est ad d. Johannem, actu iam destinatum est isti haeresi. In eo aliquoties ipse audiui conciones mere calvinisticas, aliquoties iam administrarunt sacram coenam cum publica clara condemnatione nostrarum ceremoniarum sc. adhibitionis hostiarum sive panis omissionis fractionis, confessionis privatae etc. Et multi ex civibus primariis una talem sumpserunt, quotidieque augetur accessus civium.

Alit enim princeps peculiare viros duos, pastorem et diaconum, de suis plane sumptibus in hanc rem. Reliqui pastores et diaconi a civitate vocati adhuc volunt videri pure lutherani; nec dubium est, inter illos ad minimum aliquos tales etiam vere esse.

Hoc tamen addendum opinor etiam illos quoque, qui ad d. Johannem docent, nullo modo . . . , si dicantur calvinianis dogmatibus addicti. Sed propter hanc haeresim patriae meae eo magis nocere, iam nunc etiam eventus

docuit. Eo enim ventum est, ut reliquis pastoribus et diaconis civitatis iam publice demandatum sit, ut, si qui velint et postulent, baptisent sine exorcismo. Si tamen aliqui velint, etiam cum. Nostri etiam parent et praetendunt pacem ecclesiae. Illi autem calviniani exorcismum pro re media non agnoscunt, sed rem papisticam opinantur et in doctrina erronea permanent. Atque ita incipiunt paulatim primumque promittunt liberum usum ad utramque partem, donec brevi (ut ex sapienti viro cognovi) non solum universam hanc exorcismi ceremoniam, sed et alias cum intolerabili infirmorum scandalo et ipsa illa hareseos introductione securius auferre et abolere possint.

Hisce autem septimanis obiit alter ex diaconis ad d. d. Petrum et Paulum M. Jeremias Crusius,¹⁾ vir constantissimus, qui nunquam adduci potuit, ut vel ad horam cederet hostibus evangelii. Post huius enim obitum demum haec de exorcismo, quae narraui, facta sunt. Tentarunt autem saepe ipso vivente (ex ipso beato illo audivi), sed fortiter restitit.

In huius locum ablegerat me indignum pastor ad d. d. Petrum et Paulum cum superstite diacono, me hoc nec petentem nec sperantem. Quia autem senatus civicus hanc promissionem sive spem hisce duobus fecerat fore, ut quem pastor et diaconus elegerint, facile denominaretur successor, hoc mihi annunciabant et statim hanc de omittendo exorcismo limitationem addebant, inter alia etiam hoc me edocebant, quod a senatu Lignicensi aliter non vocentur ministri ecclesiae nisi ad docendum illud, sive ut doceant veritatem verbi, quae in sacra scriptura fundata sit et quae habeatur in orthodoxis scriptis Lutheri et Philippi, potissimum in corpore doctrinae Philippi. Summam enim auctoritatem hic obtinet Philippus, adeo etiam ut et ii ipsi, qui Lutherani videntur et tales videri volunt, nolint concedere variatam illam confessionem Augustanam non esse dexterrimam et cum prima atque

¹⁾ Bergl. Ehrhardt IV, 297.

cum ipso verbo dei non per omnia congruentem et consentaneum sensu.

Haec omnia ego pro simplicitate mea studiose tum perpendens et examinans gratias primo agebam pro cura et promptitudine animi, deinde postquam petieram, ut benigne omnia acciperent, negabam me hanc conditionem cum eiusmodi limitationibus et connexis posse suscipere, cum viderem, ita fieri in scandalum infirmorum, plura propter pacem quidem, sed talem, quae deo ipsi plane displiceat, et adhuc plura in gratiam hostium Christi, calvinianorum, qui ex ista cessione tantum reddantur deteriores. Et hoc certum est, saepius enim hactenus inaudiui calvinistas de victoria gloriari et nostros pastores nominare vertumnos, quos quivis ducat et protrahat in quamvis partem.

Infirmi etiam et illiterati, non dubium, quin maxime offendantur, cum ceremoniae hactenus ipsos docuerint et certificarint de doctrina, iam autem abolitis iis ignorabunt, quid sit Lutheranismus, quid vero Calvinisticum. Atque ita me liberatum ex hac conditione spero, cum has limitationes recusarim, hocque ipsum est, quod maxime desidero. Nam omnino mihi intra me visus sum agere contra conscientiam, si annuerem ad talem vocationem. In hac etiam sententia per dei gratiam adhuc constanter persisto motus exemplo Pauli ad Galatas cap. 2 et Lutheri, qui initio ipse desiderabat sive meditabatur remotionem elevationis hostiae, postea, cum urgerent hoc adversarii tamquam plane impium, sponte diutius eam retinuit. Ab hac sententia adiuvante deo non prius recedam, donec convincar me errare.

Sed iam venio ad illud, quod ego primum dico et habeo. Hactenus enim saepissime eiusmodi cogitationes sine dubio a diabolo immissae me vexarunt acriter, ac si recusassem tale quid, quod salva omnino conscientia receptare potuissem. Huic diabolo restiti valide, prout mihi spiritus dei suggessit. Video tamen omnino necessarium, ut fruar externo aliquo aut consilio, si erravi, aut testimonio, si iure meritoque recusavi, testimonium dico tale, non

quod veniat ad alios, sed quod possim ostendere mihi ipsi saltem.

Humillime igitur a. R. T. E. hoc peto, ut ea mihi edoceat, quidnam quantumve in hoc negotio conscientia salva aliquis possit concedere vel statuere, ut si forte alibi tale quid mihi contingeret, ego eo securius et constantius possim vel annuere vel recusare. Hoc unum est.

Et quia hic mos introductus est in universum principatum Lignicensem, ut nemo a principe vel senatu (de nobilibus enim non hoc dico, cum non omnes se subiciant huic mori) vocaretur, nisi taliter ut doceat veritatem in verbo fundatam et quae habeat quoque testimonium scripta orthodoxa Lutheri et Philippi et potissimum corpus doctrinae Philippi, iterum peto, ut uno verbo R. T. E. me extricare velit ex hisce angustiis et mihi ostendere, quidnam apud me possim vel debeam de Philippo statuere deque illo corpore, et an possim eiusmodi vocationem, quae habeat annexionem scriptorum Philippicorum, suscipere. Item an possim Lignicii aliquando suscipere ordinationem sive initiationem ad ministerium, cum Philippus hic tantus sit.

Nam quod addunt verbum „in orthodoxis“, tantum videntur mihi simpliciores velle fallere. Ego enim de eo quaerebam et dicebam, me non tantum Philippi scripta orthodoxa, sed et omnium haeticorum ea, quae orthodoxa habent, posse, velle, debere approbare et suscipere, sed responsum mihi misero dabatur hoc, additum fuisse hoc verbum ideo, ut ostenderetur, qualia sint illa scripta ex toto, ea omnia orthodoxa, atque adeo non agnoscebant in Philippi scriptis vel minimum errorem, de quo tamen valde dubito.

Haec sunt, quae anxie et devote a R. T. E. peto, non autem volo harum quaestionum prolixam demonstrationem et probationem. Hoc enim si a R. T. E. tot laboribus exposita peterem, insulsissimus vel me iudice essem. Sed tantum peto nudam descriptionem et affirmationem vel negationem. Deum ego, quod et hactenus feci, pro R. T. E. totaque domo et munere arduo supplex in posterum

venerabor. Studiosus ille, qui affert has literas, ipse est filius archidiaconi nostri.¹⁾ Jtaque non vellem eum resciscere, quae scripsi. Hic etiam, ut spero, a R. T. E. repetet responsionem, si R. T. E. per tot labores poterit respondere. Hisce R. T. E. bene feliciterque in Christo nostro valeat. Dabo Kadel, ubi apud nobilem praeceptoris officiolo fungor, 10. Julii 1618 novi styli. R. T. E. observantissimus M. Johannes Scultetus Ligio-Silesius.

III. *Thomas Sagittarius an Meisner.*

Reverende, excellentissime et clarissime vir, domine fautor et amice honoratissime. Tuas literas cum adiectis duobus tractatibus theologicis, pro quibus intimas ago gratias, accepi, nae gratissimas multas ob causas, inprimis quod vestris in regionibus omnia pacata esse nuntiant. Bone deus, quibus tonnis auri nostrates hactenus haec verba: „pacata sunt omnia,“ emere non potuerunt! Hisce diebus hic conventus principum celebratur et certe conclusum pro 1000 tal. quotannis 100 esse solvandos Jta conclusum, ita fiat necesse est, neque summa ista debito contracto satisfacit, alia insuper quaeruntur media, quibus pecunia corradatur. Hinc tota regio exhauritur, cives sensim et sensim in paupertatem coniciuntur, merces omnes charissime divenduntur. Paucis. In media Silesia hodie ne quidem sua lucerna Silesiam inveniret Diogenes. Ego pessimo sane fato ad hanc hisce motibus perversis temporibus et aversis delatus sum. Circa festum paschatos consuetudine sic ferente, ut nostri ad coenam sacram praeparentur, proposueram doctrinam de s. coena et hanc ita disposueram, ut non attingerem veram, sed subicerem falsam et quidem nominatim pontificiorum, calvinianorum et photinianorum et horum rationes breviter refutarem. Hae lectiones a calvis istis huc illuc missitatae, mihi bruto tamen a fulmine privatim indicatur brevi futurum, ut perpetuum mihi hac in parte silentium indicetur. Nihil dum factum,

¹⁾ Melchior Goldmann. Vergl. Ehrhardt IV, 287.

mussitant illi et ventum aulicum sive naribus sive etiam auribus captant. Ego semel constitui deo me confirmante et conservante prius stationem, imo vitam ipsam amittere, quam veritatem semel agnitam deserere. Pleraeque scholae in Silesia et quidem primariae fere, videlicet Bregensis, Lignicensis, Goldbergensis, Suidnicensis et Bethaniensis, illo novicio calvinismo infectae sunt, nostrae dei gratia sunt ab illo nondum commaculatae, quid post meum sive abitum sive obitum futurum facile arbitror. Clancularii sunt isti homines et irrepunt, quo quis vix putet. Alias nostri valde frigent, qui, ut nuper scripseram, cum ante pauculas septimanas panem frangerent (sic enim publice hic loquuntur), tantum 35 et quidem coacti ex famulis famulabusque inventi fuerunt, qui accederent, computatis etiam duobus clericis, qui coenam administrabant. Unus enim ex Polonia advenerat, qui priori nigro Nigrino¹⁾ suppetias in administratione precario ferebat. Ego iam fere per quadriennium publice perlegi compendium theologicum, quod in omnes articulos fidei methodice complexus sum; brevi cūv θεῷ absolvetur. Quo in quia ordine attingo adversariorum errores, sumptus sunt non parvi in oculis. Sed ego non magnopere curo, vero constitui hoc perfectum ad vos, academiae vestrae et Jenenses theologos mittere, ut in gratiam adversariorum, si dignum videlicet, publicis etiam typis describatur. Sed de hisce alias. Nunc T. R. D. familiam cum salute ipsius deo nostro commendo. Dab. festinantissime Breslae, die Annae styli novi a. 1620. T. R. D. totus Sagittarius. Fratrem meum quaeso T. R. D. sibi habeat commendatissimum. Gratitudinem et meam et ipsius experietur.

De theologo nostro vanus est rumor vectus primum ex concione una non nihil pro calvinianis molliore, sed sequentibus statim ita se explicavit et quid a calvinismo sperandum esset, indicavit, ut iste rumor statim per semetipsum

¹⁾ Über Bartholomäus Nigrin vergl. Ehrhardt II, S. 167 und 321 und besonders Gillet, Skrato von Krafftheim und seine Freunde II, 428.

collapsus sit. Deus confirmet et conservet omnes in veritate sua.

IV. Thomas Sagittarius an die Wittenberger Universität.

Magnifici, reverendi, consultissimi, clarissimi domini mei honoratissimi. Vos quod hisce praeter morem fortasse molesto literis, causae sunt gravissimae. Pro re ascribam unam. Vester logicus¹⁾ aliquoties hactenus abusus opera quorundam disputationes et nuper etiam quandam de principiis virtutum moralium, quam quidem nondum videre potui, contra leges vestras maledicta in me plane immeritum evomentes excudi permisit non tantum, sed ipse pro sua innata calumniandi prurigne in suis lectionibus me dente Martiniano quotidie arrodit. Quod cum primitus ad me perscriberetur, vix induci potui, ut crederem, memor meae moderationis et humanitatis, quam multis annis illi declaraveram, dum saepissime, cum Jenae professorem agerem, omnia, quae in exercitiis contra istum scripta inveni, delevi, expunxi, imo integras disputationes mea auctoritate suppressi, ne cum matre filia, quae Jenensis est, academia ullo modo committeretur aut ad bellum vel odium quoddam protraheretur, tum quod ante annum fere, cum studiosorum quidam Witebergensis ad patrios remearet lares, etiam istius hominis maledicum genium vehementer detestatus mihi non paucas pagellas obtulisset sub hoc titulo: „Jacobus Martini excoriatus,“ quibus in quaestionum illustrium scilicet ut lucernae punicae miserrimam $\rho\alpha\psi\phi\delta\acute{\iota}\alpha\nu$, extremam in multisieiunitatem, manifestam falsitatem et notorium dissimulatis autorum nominibus furtum ostendere inceperat, dissuasi, idque inprimis hac ratione, quod ipse autor harum disputationum non esset, rem perduxì, ut plerasque pagellas, quas ad manus etiam habeo, apud me seponeret et has tranquillitati publicae concederet. Sed quid fit? Hisce diebus idem ad me defertur adiuncta una atque altera lectione, qua in, dum de materia disputat, ex Parnasso rationis data opera in sensum alienum mea

¹⁾ Jakob Martini, geb. 1570 gest. 1649.

raptat et distorquet, ut dubitare incipiam, an olim e Jovis insano eruperit, an vero ex istius hominis cerebro nunc demum eruptura sit Pallas. Debebat vester ille meminisse me publice in academia Jenensi logicam etiam cum fructu maximo, quod deus et mei testabuntur, docuisse et non tantum Rameam, ut ille somniat, sed et Philippeam et Aristotelicam ursisse atque etiamnum urgere et multos per annos fideliter docendo non sine emolumento iuventuti praeuisse atque etiamnum praeesse. Debebat scire me propter pacem et tranquillitatem publicam multas iniurias mihi hactenus ab ipso et asseclis Witebergae clanculum partim, partim etiam publice contra ius et aequum illatas devorasse, debebat et hoc animo volvere suo electorem non alere professores, ut maledicant aliis et integras paginas ex aliorum scriptis describant, sed ut doceant suosque ad veritatis subsellia sine virulentia deducant. Debebat et hoc cogitare, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Denique debebat secum habitare et suam prius excutere manticam et probe perpendere, an sua solem veritatis perferre queant an secus. Nostrorum certe hominis de istius foetu satis saepe infausto longe aliud est iudicium, quod si ipse audiret, cristas istas credo non nihil dmitteret. Sed hoc iam non ago, verum illud potius. Parnassum rationis ut et templum virtutis, cum essem adolescens nondum natus 20 annos, Jenae permissu superiorum primum proposui deque propositis, ut fit, cum aequalibus fere exercitii gratia contuli, postmodum utrumque typis exscriptum fuit. Delituit tamen ut plurimum intra privatos parietes, et quia cum tempore crescit iudicium, nonnulla commodius dici posse et probari deprehendi. Hinc quamvis non semel instaret typographus, ut recuderetur, nunquam volui permittere, imo pro meis, ut nunc sunt, non agnosco amplius. Quis iam logicum vestrum hic constituit iudicem? Quas sibi ille hic fingit larvas, quibuscum depugnet? Egregiam certe laudem barbatulus iste et fere, ceu computo, quinquagenarius, si cum adolescente (is enim tum eram, cum scriberem illa, quae iste hostiliter et cum sarcasmis

Martiniano ingenio dignis invadit) in arenam dimicaturus descendat, reportaverit! Sed haec sunt tempora, neque alias ignotae mihi sunt istius hominis intemperantiae, quas, si academia hactenus compescere non potuit, nec ego potero neque magnopere etiam allatravero. Interim tamen non tantum Troianis, sed etiam Graecis suos esse deos neque mihi aut meis vel causae bonitatem vel animum etiam respondendi et defendendi unquam defutura sibi certo persuadeat, et hoc iam caput est mearum: Vestrae academiae meam dedi in receptione fidem. Hinc semper illi me obligatum esse et obstrictum et sensi et sentio etiamnum. Quo nomine et me ipsum et meos intra moderationis et concordiae cancellos detinui sperans fore, ut iste a calumniis desisteret et opuscula ista non a viro, sed adulescente scripta esse (id, quod et ex tempore primae impressionis, si spiritu vertiginis non ageretur, facile colligere posset) cognosceret. Verum quia ille antiquum obtinet et me iam ante plus quam centies provocatum more suo quotidie etiamnum contumeliis proscindit, de ratione, qua famae et existimationi meae consulam meque defendam, cogitare iam tandem cogor.¹⁾ Quare solemnissime protestor et deum meum testor, me et meos academiam Witebergensem amare et, prout decet, honorare, verum si quid fortasse acerbius in logicum istum vel scripserimus vel dixerimus, id hominis istius innatae

¹⁾ Auch der bekannte Konrad Dietrich hatte Ulm, den 22. Novbr. 1619 an Meißner geschrieben: „Cognovi rumore non obscure academiae vestrae professorem logicum m. Martinum institutiones meas logicas pro lectione publica refutare. Id si ita est, infensum viri istius in me animum mirari satis non possum, quem scio ne litera unquam a me laesum, verbo, cum praesens praesentem non viderim, laedi non potuit. Si non est famae mendacis rumores mendaces non abs re detestor, quamquam mirum non sit, de viris bonis mira multa falso spargi. Interim ut certus ea de re fieri possem, facere non potui, quin pro pietate nostra mutua a V. D. R. amice efflagitarem, ut certiore me de ea ipsa facere non dedignari velit, si certi quid cognoverit, quo liberius scrupum eo nomine mihi iniectum ventilare in utramque partem possim eiusdemque me sollicitudine liberare. Multa enim hic suspicor, quae adhuc supprimo, usque dum certus factus de summa rei fuero“.

et consuetae intemperiei tribuatis et mihi, quia tot modis provocatus sum, defendendi libertatem non denegetis. Si vestro licet maledicere et mihi, credo, omni licebit iure pro me bene dicere. Valet, viri magnifici, reverendi, consultissimi et clarissimi, valet et, si fortasse persona dignis excipietur et tractabitur modis, id non continuo in academiae vestrae contumeliam suscipi statuite. Iterum valet. Dabam Breslae 26. Sept. anni 1620. Vester Thomas Sagittarius.

V. Urban Scultetus an Meisner.

Commendari literis meis, vir admodum reverende et doctissime, voluit literarum exhibitor dn. Elias Bohemus, Martini Bohemi pastoris in patria fidelissimi et bene meriti filius, scilicet iuxta proverbium succum lactis poscit. Qui enim ego, qui vix semel R. T. D. visus sum et quidem aliorum commendatione per literas clarissimi Argentinensis theologi dn. Johannis Gisenii ¹⁾, aliis aditum patefacere tentem? Spero nihilominus imo penitus confido, R. T. D. ut aliorum ita huius adolescentis studia, sicuti opus erit, pro virili parte adiuturam. Caeterum de ἀνθρωπολογία a R. T. D. in lucem emissa hoc quaerere volui, accessione aliqua eius operis sit expectanda et an exstent adhuc exemplaria Witebergae excusa? Nam illud, quod Argentinae vendebatur, nolim. Tandem de quaestione illa a R. T. D. erudiri pervelim, praeceptor aeternum observande, an concionator γνησίως lutheranus magistratu sic praecipiente salva conscientia possit pro concione proponere nostram orthodoxorum thesim missa adversariorum antithesi, vel an pastor ecclesiae non debeat arguere haereticos conservandae pacis et tranquillitatis causa? Simpliciter quidem et universaliter neminem sanae mentis id asseveraturum scio. Interim quaeritur de particularibus ecclesiis certis circumstantiis notatis: si

¹⁾ Seinem Schreiben vom 12. Dezember 1620 an Meisner hat der Straßburger Theologe den Zusatz gegeben: „Qui exhibet eas literas, est designatus rector scholae Laubanensis.“

auditores falsi illius dogmatis calvinistici plane nullam habeant cognitionem, nec metuendum sit, ne eo inficiantur imposterum, dubitatur, an de eo publice sit agendum in ecclesia. Vel an is etiam, qui ruri verbum docet, adversarios ἐλέγχειν teneatur, an vero rectius faciat homines tantum ad Christum adducens et omnem ἐτεροδοξίαν mittens, quia auditores sunt simplices nec de articulis fidei disserere sciunt. Et praeterea a magistratu si prohibeatur ecclesiae minister pestilentes haereticorum errores tangere, an potius ab officio removeri se patiatur, quam edicto magistratus obtemperet? Non quovis tempore a R. T. D. responderi posse tot occupationibus et negotiis districta scio quam optime, si tamen horula aliqua vacua a laboribus dabitur, peto, ut paucissimis tantum, quid sentiat, explicet et literas homini, qui Witebergae aliquamdiu studiorum gratia commorabitur, tradat. Offero vicissim mea officiosa studia, si modo aliqua esse possint, imo me totum. Vale. Dabam Laubae, 24. Aprilis anno 1621. T. R. D. studiosissimus M. Urbanus Scultetus, scholae Laubanensis rector.

VI. Johann Offig an Meißner.

Quam verum sit divi Petri apostoli monitum „ὁ ἀντίδικος ὑμῶν διάβολος ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ ζητῶν, τίνα καταπλή“, videre est hoc non solummodo in statu οἰκονομικῷ, quem foedissimis peccatis inquinat, verum etiam ἐν τῷ πολιτικῷ, quem bello truculentissimo deo iusto iudice ob enormia scelera permittente concitatis et factis seditionibus conflatisque discordiis invadit, ut vero iam armorum strepitu tota terrarum orbis personet. Inprimis autem deformat dissipatque statum ecclesiasticum varia αἱρέσεων δόγματα disseminando, verbum puritatis corruptis contaminatisque glossis adulterando, quo ferme, pro dolor, omnes anguli falsis opinionibus seateant. Non tantum hisce in locis, verum universa terra latent, se occultant auramque popularem haeretici captant, donec ventis secundis navigare queant. Qualis gens pestifera est Luciana seu Calviniana, quae modum istum optime novit, perspectum habemus,

quam tamen divina elementia veluti mare inundans ceu fulmine tetigit, ut subito rimas, e quibus enascitur, repeteret. Sicuti hisce in locis factum.

Hic enim antea pro obulis tribus vel quatuor sex vel plures emissem, cum iam, si vellem aureum florenum pro uno calviniunculo solvere, non aliquem reperirem, ita didicere uti foro. Sed diabolus semel in uno loco convictus ac eiectus alibi tanquam spiritus immundus redit, ut iam in hanc regionem magna cum pompa et papicolarum applausu iterum restaurat. In comitatu Glaciensi omnes ministri verbi divini et Augustanae confessioni addicti ab officio eorum plane remoti et in exsilium proscripti sunt. Nobis in posterum, quod deus benigne avertat et nos spiritu suo sancto illuminet, ut seram ac veram agamus poenitentiam, nihil aliud exspectandum est. Homines enim redduntur non meliores, sed fiunt in dies deteriores, quod deplorandum. Maiori avaritiae prurigine numquam laborarunt homines quam nunc. Viget passim luxuria, crapula, sectantur plurimi superbiam, fastidium et arrogantiam; maxima pars hominum in summa securitate vivit.

Gliscunt etiam suitae in medio huius ducatus in . . . ¹⁾ Nissae, ubi sedes episcopalis, ex quorum caterva suita quidam concionem ad populum nuper habuit, in qua, ut veros fideles a veritate seduceret, tertio quoque verbo nostrum θεάνδρον beatum Lutherum, huius saeculi ultimum dei electum ὀργانون, compellavit gravissime, eum magnorum errorum arguit ac turpissime coram populo praesertim veris credulis, quorum magnus numerus adhuc ibi superstes est, detulit, ut a vera via abduceret eorumque impium dogma illis persuaderet. Praetendit, ac si beatus noster Lutherus impugnasset articulum τῆς ἀγίας τριάδος, quem errorem ipsi attribuit ob verba quaedam, quae beatus noster Lutherus in redditione sacrorum biblicorum germanica omisisset, et demonstrare illum conatus est ex epistola d. Johannis 1. Joh. 5,8, ubi versum in germanica

¹⁾ Ein Wort ist hier unleserlich.

editione prima non esset additum: τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατήρ, ὁ λόγος καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. Horum verborum omissione grunnivit suita μεγάλανδρον negasse sacrosanctam trinitatem. Qui articulus tamen in scriptis eius nobis relictis satis abunde declaratus est, ut appareat, quam graviter et severe doctrinam de sancta trinitate defenderit. Sed quid non conspurcat os blasphemum suitarum!

Cum vero res ita se habeat, quod vir hic magnus verum istum supradictum praeterierit, quem postea theologia facultas celeberrimae academiae singulari consilio forsan in editione subsequenti Wittenbergae edita addidit, quod suita ille vehementer in suggesto tamquam crimen falsitatis Lutheri arguere solitus fuit inquiring, corde ac conscientia convicta nolens volens academia Wittebergensis istum verum iterum insequit, quae vivere nonnulli theologi cotidie ex me causam, quare a beato nostro Lutero hoc factum esset, cuius rationem aliam nullam reddere potui, quam exemplarium Graecorum diversitatem. Quod in quibusdam verba illa, ut fertur, omissa aut ad marginem translata, in aliis vero adiecta essent, an verum sit, ignoro. Nam in meo exemplari Graeco Lutetiae a. 1549 edito, quod ex bibliotheca regia in sedecimo insignitur, integra verba non in margine, sed in serie textus reperiuntur, in nullo autore autem, quem ad manus habeo, causa, quare b. Lutherus istum verum omiserit.

Sed cupidus ipsemet sum scire et alii multi huius causae rationem, quo imposterum astutulis istis suitis Lutero obgannientibus occurri possit Vale in domino. Schönovia in Silesia prope Novumforum cis Wratislaviam 2. Decembris 1623. T. R. D. devinctissimus Johannes Ossigius, pastor ibidem et subdiaconus Novifori.

VII. Samuel Thuringus an Meisner.

Salutem in domino cum officiis. Malos debitores imitor, qui subinde plura, quam priora solverint, solent

petere. Ita et ego eo procacitatis progredi non erubesco, quin unum adolescentem post alterum, bonarum literarum studio um, tibi commendem nullo prorsus vel tibi non nisi optime semper de me merito, vel alii alicui tua causa praestito humanitatis officio. Venit enim ad vos iuvenis nobilis, apud vos non modo studioso more initiandus, sed etiam potissimum pietate, literis, moribus et solida virtutis et eruditionis *χρόματι* formandus et imbuendus. Isque gentilis generosi illius Abrahami a Sebottendorf et Contzendorf in Gaull, cuius memoriam quippe tum Wittenbergae nostro tempore tum et paulo ante me Giessae musarum castra strenue pellustrantis non penitus ex animo tibi excidissee reor, illustrissimi principis nostri Brigensis consiliarii magni et quidem, ni fallor, sumptibus solius huius. Cum itaque ab hoc humanissimis literis sim plectus, istum hisce meis (sed qualibus quaeso?) apud te ut iuvarem, aliter ubique nae possum non facere, quin R. T. C. pro vetere necessitudine nostra humaniter orem, ut Henricum hunc a Sebottendorff et Cunern fidei non modo suae commendatissimum habere, sed et si fieri potest, habitationis, mensae et conversationis beneficium ipsi sumptibus omnibus refundendis praeberet dignetur. Faxit ubique R. T. Claritas isthoc pacto rem iuveni isti exoptatam et procul dubio salutarem approbatione pariter atque expetitione hac mea dignam, comprimis autem magno isthuic viro, consiliario illustri, gratam, et ut paucis dicam, omnia de nobis, nobis singulis non modo et universis, imo de toto Silesiorum orthodoxorum ordine equestri optime merebitur, sed etiam ad grata quaevis maximum in modum nos sibi devinciet, beneficii tanti nunquam non memores.

Subicerem plura, nisi plurimis perpedirer occupationibus inopinatis plane. Nec lintheum superioribus proximis promissum liberis adicere possum, cum nondum Suidnitio ad me allatum sit. Quia vero, uti confido, brevi adferetur, interim fideiussoris loco mappam hanc cum mantili apud T. R. Cl. depono obnixè rogans, ut levidense hoc boni consulat et dilationem linthei patienter ferat.

Unum est, quod perscire velim, quid controversiae intercedat dn. Mentzero nostro cum Tubingensibus nec non Osiandro, d. theologo Tubingensi, cum pientissimo, ni fallor, theologo Johanne Beudter, superintendente Megapolitano, quem ἐν ἀγίοις iam versari audio. Si R. Cl. T. dignaretur paucis me de genuino erudire litigio, mihi utique perquam ea gratificaretur, sed dum subinde avocor, finio et R. T. Cl. protectioni divinae cum ecclesia Augustanae confessioni γνησίως addicta nec non omnibus R. T. Cl. bene cupientibus fideliter commendo humiliterque oro, ut quantum poterit vulnera ab ecclesia adflctissima pro sobria pietate sua avertere deo allaboret bono. Cursim fusim Ruppertsdorffii 25. Junii a. 1624 R. T. Cl. sincere amans et studiose colens Samuel Turingus.

Dum has Breslae obsignare vellem, generosus a Sebottendorff mihi in aurem concredidit, gentilem suum, qui nunc ad vos proficiscitur, inclinare ad gulam partim, partim etiam profusorem liberalitatem, adeoque R. T. Cl. per me omnibus orat precibus, ut a computationibus illum sedulo retrahere haud gravetur et imprimis sumptus superfluos ipsi nullatenus suppeditet.

VIII. Abraham von Sebottendorf an Meisner.

Salve in Christo, vir reverende clarissime. Juvenem, quem vides, gentilem meum Henricum Sebottendorffium artibus ingenuis, moribus probis et, quod primo loco ponere fas est, sinceræ religionis cultu informandum, efformandum Leucoreae vestrae transmittito non quidem parentum, quorum uterque in domino iamdum obdormiit, sed amicorum sumptibus ad ducentos imperiales thaleros annuatim designatis.

Illum ipsum quod in vestibulo adventus sui R. D. T. reverenter accedere, eius consilium in sese dedolando, initiando studiosi nomen et immunitates impetrando, mensam sumptibus destinatis parem, contubernium probum, moratum aut saltem musaeolum commodum assequendo decenter

petere, informationibus tuis, monitis tuis, iussis imo tuis per omnia obsequi hortatus fuerim, imo severe mandaverim, facit R. D. T. singularis humanitas a pluribus, Samuele praesertim Thuringo, nomine et vita theologo, vicino et amico meo medullitus adamato, praedicata, facit in re literaria promovenda alacritas, in sincero religionis studio excolendo, gloriam Christi promovendo, lupos ecclesiam in his terris militantem infestantes publicis scriptis abalienando candor singularis et integritas. Adsunt mihi ex iis, quos frequenter lego, duo philosophiae sobriae libri. Consultationem antilossianam Giessa ad me misit communis praeceptor noster hac quidem inscriptione, qua et affectum, licet immeritum, erga me cognoscere est:

Abrahamo a Sebottendorf, equiti Silesio,
fautori et amico singulari observando et dilecto,
mittit

Balthasar Mentzerus, professor Giessenus.

IX. Sept. anno DeVs nobIs CVM.

Quo in aere habeam meditationes tam dominicales quam s. festivitatum inscriptas, excubiarum papistarum depulsionem, conciones electorissae Brandenburgensi dicatas,¹⁾ ne quid affectu idare videar, scribere vereor. Unicum hoc rogo, ut me in numero eorum, qui R. E. T. bene cupiunt, a deo perpetuo bene esse vovent, certum statuas et iuvenis huius vitam, mores, studia inspectioni tuae concredita habeas. Expensas necessitati non profusioni, literis non helluationibus, decori non luxui factas iussu meo menstruae consignabit, consignatas data occasione transmittet, illas modum intra definitum supportabunt amici, has negabunt, auferent, exesse iubebunt, quotquot studiis cum non positis, pro dolor, adolescentiae oblectamentis consecrata volunt. Saltem ne gravetur R. D. T. uno vel altero verbulo de moribus eius et ingressus academici coeptis suo tempore ad me perscribere. Bene vale Jesu nostro favente, eius honori, ecclesiae bono sospes

¹⁾ Über diese Predigten vergl. Tholuck, Der Geist der lutherischen Theologen Wittenbergs S. 121.

perenne. R. E. T. observantissimus Abraham von Sebottendorf. 1)

Dabantur e Gauliano meo 26./16. Junii anno, quo precor, exercitus dei nostri muniat nos. (1624)

Sacculum 50 imperiales thaleros continentem sigillo meo obsignatum R. E. T. affert patruus meus inde petiturus, quae suo tempore necessaria videbuntur R. E. T., quae huic meo voto haud gravatim sese commodet.

IX. Friedrich Balduin an Meisner.

Was mich anlangt, habe ich fleißig alle Tage vier Stunden. Bekommt mir, Gott sei Lob, noch ziemlich, ohne daß ich bisweilen des Nachts noch einen Schmerz am Schenkel fühle. Die Herren Medici haltens für ein gut Zeichen, sprechen, die *thermae* greifen die Krankheit also an, ich werde mich nach etlichen Wochen schon besser befinden. Ich hoffe zu Gott, ich will gesünder heimkommen, als ich bin ausgezogen, deswegen ich mich seinem Gebot befehle. Es sind igo viel Badegäste hier, kommen noch immerdar und fast täglich mehr. Der Herr aus Polen, von dem ich ehest geschrieben, ist nicht *cancellarius regni*, sondern *generalis dux exercitus regni Polonici*, ein vornehmer *Woiwode*, ist aber nicht hier, sondern *propter rumorem pestis et irruptionem Sueciorum* in *Livoniam* zurückgerufen worden. Sonst sind eiliche *barones Polonici* hier, unter anderem ein vornehmer Baron, obgedachten *generalis cancellarius*. Neben ihnen ist ein anderer Freiherr *Vratislaus* von *Betlitz*, Ritter von *S. Maltha*, *Kommandatur* von *Striegau*,

1) Vergl. hierzu den Dankesbrief an Meisner: Quo maiore teneor desiderio in patruo meo sinceræ pietati, bonis moribus, literis humanioribus devovendo, eo gratius sive officii sive beneficii genus præstitisti, vir reverende spectatissime, in eo ad convictum et contubernium probum destinando, imo et responsorias acceptissimas iuncta laborum bono publico expositorum parte transmittendo. Utinam par esse possem humanitati et benevolentiae tantæ, ad quam retaliandam nullum me lapidem non moturum certo credas. Patruum maiore nota commendatum habeas et me indefessa transmissorum opusculorum lectione, usque dum reliqua ex spe faventia facta adveniant, occupatum fore firmiter persuasum teneas. Hoc voveo R. D. T. salutem perennem. Dabam e Gauliano meo Non. Aug. styli novi 1624.

ein tapferer alter Herr von guter Konversation. Ist zwar ein Papist, aber gar freundlich und lustig, mit dem ich schon viele gute Gespräche gehabt, denn ich sitze ihm im Bad zunächst an der Seiten. Darnach sein zwei nobiles Silesii und ein Amtmann von Zauer, die baden neben mir zugleich. Die anderen barones und Herren aus Polen haben andere Stunden. Meine junge Frau und die Philipp Adamen baden mit einer polnischen Woimodin und etlichen anderen Frauen und Jungfrauen. Sonst ist hier alles sehr teuer, in circuitu pestis grassatur, ne quidem Hirschberga excepta, sed nostrae thermæ, deo sit laus, sunt prorsus immunes ab hoc malo. Wir sind lustig und vertrauen Gott, der wolle uns frisch und gesund wieder zusammenbringen. Der Herr Gevatter wolle meine Kinder grüßen und ihnen sagen, daß sie den ihnen gesandten Schlafpelz mit dem Kutscher zurückschicken wollen. Ita salve cum omnibus tuis quam felicissime et pro nobis orare perge. De visitatione scholarum illustrium tibi gratulor. Valet omnes in domino. In thermis Hirschbergensibus d. 4. Septembris 1625. R. T. D. studiosissimus Fridericus Balduinus.

X. Johann Müller an Meisner.

Salutem et observantiam. Reverende, admodum clarissime et excellentissime dn. doctor, dn. patrone ac promotor in aeternum observande.

Postquam praesentium lator Wittebergam ablegatus est, literas hasce ad R. V. E. dandas putavi. Praesertim hanc ob causam ut certus reddar, num R. V. E. nuperrimas meas literas una cum linteo acceperit necne, praeterea unum atque alterum verbum de statu nostro ut addam. Postquam capitaneus noster ab Oppersdorff crabrones jesuwiticas huc advexit, licet praeter morem veterem, nulla pax et concordia inter cives perstitit. Denn diese Teufelsköpfe verbieten nicht allein alle Gemeinschaft mit den Lutheranern, wie sie dann den Päpstischen verboten haben auf Hochzeit, Gastereien zc. zu kommen. Bei der heiligen Taufe hat neulich unser Bürgermeister einen Papisten, so dazu erbeten

worden, durch den Diener aus unserer Kirche abfordern lassen, daß er nicht hat bei einem Evangelischen zu Gevatter stehen dürfen, sondern sie calumnieren und lästern in allen Predigten so greulich und schändlich, daß nicht zu sagen ist. Ja was noch mehr ist, so kommen sie mit Gewalt in die Häuser, wie denn auch in die Hospitäler geschlichen und machen also viele abwendig. Dazu unser keiner sagen darf: „Papa, quid facis?“ Zugeschweigen daß der alte Schelm, der Weller, welchen ich mit seinem rechten Namen nicht nennen mag, immerzu einen Pasquill oder Västerschrist nach der andern allhier bei uns vor unsern Augen ausgehen läßt, darinnen der H. Doctor Luther sowohl auch andere lutherische Prediger zum schändlichsten geschmäht werden.

Nunc vero jesuwitas vel potius esawitas cognovi. Nunquam credidissem tantam in istis quadrifidis miseris latere nequitiam. Deus nos liberet a iugo isto et tyrannide antichristica. Profecto deum testor, in aeternum excusari non possunt, qui cum pontificiis colludunt. Participes enim redduntur omnium peccatorum, qui ab ipsis committuntur.

Odeus fortunet christianissimi regis Daniae propositum. Nisi deus ἀπὸ μηχανῆς apparuerit, de nobis actum est. Silet iam in nostris templis illa cantio alias decantatissima: Serva deus verbum tuum!

Interdicitur nobis etiam punctim tangere religionem irreligiosam pontificiam. Et quis omnia! Tempus non suppetit omnia illa βελέγματα recensere. quae per hoc semestre sumus experti.

Die armen Brostauer sind um ihre Kirche kommen, der Pfarrer verjagt. In anderen Dörfern um die Stadt herum wird gleichfalls geboten, daß sie in der Papisten Kirchen kommen sollen. Ja was noch mehr, den Fischern draußen auf der Fischerei, welche hart an der Stadt gelegen, ist geboten bei Verlust ihres Handwerks in die papistische Greuelgrube, Kirche wollt ich sagen, zu gehen. Und ob zwar die armen Leute vor Gott und nach Gott gebeten, so haben sie doch bis dato nichts erlangen können.

Ita nobiscum agitur. Es scheint, als ob das lutherische Häuflein hier mit der Zeit ganz und gar sollte ausgetilgt werden. Gott stehe uns bei. et consilia Saxonica ita moderentur, ut vergant in dei gloriam et ecclesiae dei augmentum.

Hier übersende ich E. Excellenz etliche Traktätlein unserer Widersacher und unter anderem des losen leichtfertigen Mame-lucken, des gewesenen Pfarrers*) zu Barchau vulgo Suppenhausen sein Revokationspredigt, welche er zwar nicht gemacht, sondern von dem alten Jesuswider, dem Pudore Wellero, geschmiedet. Bitte E. Excellenz wolle mir übersenden den Staupbesen, welcher diesen Schelmen als merces debita, wie man hier sagt, zu Wittenberg soll gemacht worden sein, et si quid alias contra esawitas habet. Interim R. V. E. cum omnibus suis divinae protectioni commendo et etiam atque etiam valere comprecor. R. V. E. observantissimus m. Johannes Müller.

XI. Johann Müller an Meißner.

Felix novus annus auspicium cum omni corporis et animae salute a Christo salutis autore. Reverende, admodum clarissime atque excellentissime dne doctor, fautor et maecenas in aeternum observande. Cum heri forte fortuna audirem de tabellario quodam Wittebergensi huc transmisso, intermittere non potui, quin literas ad R. V. E. darem praesertim hoc tempore, ubi per dei gratiam novum ordimur annum. Si itaque nunc amicus amico suo felix anni auspicium precatur, cur non R. V. E. ego similiter optima quaeque comprecarer? Discipulus praeceptoris. promotus suo promotori ac fautori? Includo autem votum meum versui:

Magne patrone, tibi, uxori natisque tenellis

Eveniant anno prospera quaeque novo!

Cogitanti autem mihi, quid strenae loco adderem, incidit aliquid lintei. Quod donum, licet sit tenue et exiguum, scio tamen R. V. E. eo futurum gratus, quod

*) Subgius. Vergl. Ehrhardt III, I, 490.

ex animo amico et observanti proficiscitur. R. V. E. boni consulat, donec aliquando meliora sequantur.

Cum vero cis paucos dies sceleratus quidam monachus, qui nuperrime e Polonia huc venit, nomine, ut videt R. V. E., Paulus de Czarnkow, vel ut ego interpreter (Polonicae linguae quippe ignarus) Saulus vom Schweinfowen oder vom Narrenfoben), nescio an audacia magis an impudentia sua impulsus vel quod nanus etiam Hercules voluerit esse, tentavit fideli admonitioni vestrae, quam nostri homines certatim sibi comparant, legunt et exosculantur, sese opponere, facere non potui, quin huius oppositionis exemplar R. V. E. mitterem. Quamvis autem videam, morionem monachum in hoc scripto nihil efficere, sed potius stultitiam et imperitiam suam monachalem prodere, tamen ex animo doleo vos, tanta luminaria nostrae ecclesiae, ab impudenti monacho et ore ἀχάλινω tam nefariis calumniis proscindi, Lutherum illum megalandrum tam impie traduci, nostras ecclesias denique omnes a tam blasphemio Simeii conviciis et criminibus impeti. Misi igitur una exemplar, ut videat R. V. E., quid hac in parte faciendum, an stulto secundum stultitiam suam sit respondendum necne. Certe si alibi locorum essem, vel ipse tentarem aliquid.

Transactio illa imperatoria, der Accord, ut vocant, wird bei uns von den Jesuwidern sehr schlecht gehalten. Nam hinc inde templa, in quibus sonuit lutherana religio, vel ipsi occupant, vel diruunt vel desolata resarciunt, homines ad suam religionem, ad copulationem, ad baptismum pontificium cogunt, daß nu mehr in etlichen Dörfern auf dem Lande, ja in einem Ort in der Stadt, der die Fischerei heißt, kein Evangelischer sich bei uns soll kopulieren, in unsere Kirchen gehen oder sein Kind in unserer Kirche wie zuvor taufen lassen. So ist uns auch verboten worden, den Gesang zu singen: „Erhalt uns Herr, bei deinem Wort“, und ist geboten worden, die papistischen Feiertage zu halten et quae sunt plura alia. Auch ist den Jesuwidern ein Platz in der Stadt eingeräumt worden, darauf sie ein collegium bauen sollen, wofern sie nicht etwa

aus Sachsen einen bösen Wind haben werden, der diesen Bau verhindern möchte.

Haberem alia plura, si tempus permitteret, sed de his alio tempore. Interea R. V. E. cum uxore mellitissima et liberis dulcissimis salvere, valere et gaudere plurimum ubeo et largissimam dei benedictionem, faustum novi anni auspicium cum omnibus corporis et animae bonis comprecor meque favori vestro cum meis commendo. Bene valete. Datum in Maiori Glogovia die 8. Januarii styli novi a. 1626. R. V. E. submississime salutatur observans m. Johannes Mylius, ecclesiae lutheranae apud Glogovienses diaconus.

Bratau bei Wittenberg.

Lic. Dr. Theodor Wolschke.